



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

[15.] S. Paulus Eremitarum Patriarcha

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

nisi sub fercula. Exhibuimus membra iniquitati ad iniquitatem : Serviant jam justitiæ ad sanctificationem. Ut fiat, in honorem totius S. Passionis Dominicæ *Rosarium* recitemus *dolorosum*. Capiti sic simile membrum.

Festum S. Pauli Eremitarum Patriarchæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Video fugientem è sæculo in deserta Paulum. Quæ causa ? quia vidit pereundi occasiones, & pericula nimis quantum certissima. Exulabat fides cum castitate, & vita mortalium ducebatur non nisi inter carnis delicias, & turpia oblectamenta. Sic fugere, salvari est. Nec fuga ignobilis, quâ pervenitur ad Deum.

Instructio meritoria.

Ne petuliat sensualitas, unô, alterôve abstinentiæ actu ad prandium, & cœnam reprimamur, & sedentes ad mensam spiritualiter communicemus. Christum nobis nutriamus, & spiritum ; corpus verò & appetitum trucidemus. Pro ob-

tinendis quatuor virtutibus Cardinalibus
oremus 14. *Pater & Ave* expansis bra-
chiis.

II.

TAntis in solitudine deliciis S. Paulum
repleverat Deus, ut mundum, &
voluptates æternùm valere jussit. O
nos ignavos in vita spirituali! vocat Deus,
vult & nos à mundano expediri strepitu!
deseramus & experiamur, quàm jucun-
dum soli intendere Deo, & iis, quæ Dei
sunt. Piè viventibus non subtrahuntur
deliciæ, sed mutantur.

Instructio meritoria.

A prandio adeamus templum, vel co-
ram alia cubiculi imagine sancta nos re-
colligamus, meditando illa Pauli verba:
Sic transit gloria mundi. Pro acquiren-
do autem perfecto rerum terrenarum
contemptu addamus Litanias de dulcis-
simo Nomine Jesu. Jesus mel in corde,
& lac in ore. *Tristatur aliquis? veniat
in cor ejus Jesus.* Bern.

III.

Fili! qui multùm conversantur inter
homines, rarò sanctificantur. S. Pau-
lus

lus 80. annos exegit in solitudine, quin ullum videret hominem præter S. Antonium, quem Deus ipse advocavit. Dilecte! patet causa, cur tam modica sanctitas nostra? magis vivimus homini, quàm Deo. Sed quid hîc S. Augustinus? *Amplectar te bonum, sine quo nihil est bonum! amplectar te optimum, sine quo nihil optimum.*

Instructio meritoria.

Per quamlibet septimanam, diem Mercurii, Veneris, & Sabbathi, aut diem alium solemnem alicujus profesti veneremur sancto silentio, & recollectione mentis, ac vitæ. O quàm pura, quàm quieta, & serena tunc servabitur conscientia. Hâc præveniamus Festa. *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis.* S. Greg.

Festum S. Antonii inter Eremitas Primi Abbatis.

EXHORTATIUNCULA I.

A Udiit ex S. Evangelio: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus.* Dedit Antonius fugiens
ad